

Breviers nicht beten können; so sollen diese sehr strenge — mit einer, für fromme Orte zu verwendenden, Geldsumme, mit Gefängniß oder Entziehung ihrer Pfründe — bestraft werden."

(Fortsetzung folgt).

Lösung von Pastoralfällen.

Ad interrogationem de particulis pro populo consecrandis prius jam (Jahrgang III. S. 173.) scutam etiam sancti Alphonsi Ligorii assertum adjungere volumus.

Si offerantur hostiæ parvæ, dicit s. Liguorius, paulo post oblationem, licite consecrantur, mentaliter oblatione suppleta; Gavant. Tanner, Possev. Aversa etc. Id probabiliter fieri potest post canonem inceptum, ut ajunt Gobat. Quarti, Burghab. Possev. Diana, et Card. Lambertin, saltem si aliter plures communione careant, aut etiam (censeo) si communicaturus non posset expectare, vel si persona gravis aut nobilis Communionem petat, dum propter hujus modi casus permittunt S. Anton, Silo. Bon. Sa, Barb. March. Possev. Gob. Dicastil etc. dari posse etiam partem hostiæ magnæ, vel dividi hostias minores in plures particulares.

Pro praxi etiam quæstio, quid ad validam consecrationem requiritur, summi momenti nobis videtur. Et s. A. Liguorius ita quæstionem hanc solvit:

Ad validam consecrationem requiritur, ut materia
1. sit sensibilibiter (saltem moraliter) præsens; unde invalide consecratur materia valde remota vel posita post tergum, aut parietem. Dicitur vero saltem moraliter, quia bene consecrat cœcus, vel existens in tenebris, si aliunde certus sit moraliter de præsentia materiæ. Requiritur

2do. ut sit certa et determinata; saltem aliquo modo certo; tunc autem jam consecratur ex intentione virtuali, licet de ea sacerdos consecrando obliviscatur. Si autem ciborium tempore consecrationis remanserit extra altare, probabilius est, ipsum rursus esse sub conditione consecrandum, ut docet Card. Lambertinus, tunc enim dubium est, an sit facta consecratio. —

Num sacerdos Latinus in locis Græcis ac Græcus in Latinorum urbe potest Eucharistiam juxta loci ritum consecrare?

Ad quæstionem hanc rite solvendam adferamus decretum Eugenii IV. ita sonans: „Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque juxta ecclesiæ sive occidentalis sive orientalis consuetudinem;“ et Florentinæ synodi definitionem: „Sacerdotes in altari ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ ecclesiæ consuetudinem.“ Ex præcepto ecclesiæ itaque latini in azymo et græci in fermentato consecrare jubentur.

Præter hanc obligationem servandi proprium ritum in Eucharistiæ celebratione peculiaries quoque ad-

sunt ecclesiae leges. Sic. S. Pii V. Constit, *) in qua hæc leguntur verba: Quibusvis presbyteris tam græcis, quam latinis, in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus, ne deinceps presbyteri Græci, præcipue uxorati, latino more et latini græco ritu, hujusmodi licentiarum aut facultatum aut quovis alio prætextu, missas et alia officia divina celebrare aut celebrari præsumant.“

Et Benedictus XIV. **) prædecessorum ac Flor. synodi legem inculcans, „Districtius, inquit, inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a divinis, ne presbyteri græci latino more et latini græco ritu sub quovis licentiarum et facultatum Græci latino more et Latini græco ritu celebrandi, ab Apostolica sede, vel ejus legatis, ac etiam majori pœnitentiaro pro tempore existente obtentarum prætextu, missas et alia officia celebrare vel celebrari facere præsumant.“ Deinde prohibet, ne latinus parochus pyxidem in ciborio cum particulis sub specie azymi pro communione Latinorum, „in quocumque ecclesiae suae altari retineat;“ jubetque „ut unusquisque sacerdos nonnisi in suo sive græco, sive latino ritu Eucharistiam Fidelibus porrigat“ Præterea, ne laici latini communionem sub specie fermentati a presbyteris græcis recipiant, omnino interdicat; Græcis tamen laicis permittit, „ut, ubi propriam parochiam non habent, possint, si velint, in ecclesia latina Eucharistiam sub specie azymi a sacerdotibus latinis sumere.“ Haec pro Græcis in Italia de gentibus statuta sunt. —

*) S. Pii V. Const. incip. „Romani Pontificis“ 13. Cal. Sept. 1566.

**) Const. „Etsi Pastoralis,“ §. VI. n. 10.

Sacerdos ergo latinus in suo ritu, itaque in azymo; graecus autem in fermentato ex ecclesiae praecepto celebrare debet. Similiter et laicus quilibet in suo tantum ritu, latinus in azymo et graecus in fermentato pane communicare potest. —

Hac in re autem S. Alphons. Liguori aliam proferunt sententiam *) dicens: „Quodsi Graecus transit per loca Latinorum (et si latinus per Graeciam) ubi non sit ecclesia, in qua ritus Graecus servatur, potest pro suo arbitrio in azymo et in fermentato celebrare;“ ita communiter. D. D. —

Verricellus dicit, non licere sacerdoti latino uti fermentato in ecclesia graeca, nec graeco in ecclesia latina azymo, etsi populus diu deberet sacrificio privari et proximus absque viatico decedere, ne praeceptum ecclesiae, praescriptos ritus servandi, quod ad communem ejus utilitatem pertinet, laedatur. —

Welche Pfründner und an welchen Tagen sind sie verpflichtet, das h. Meßopfer pro populo zu applizieren? (Vergl. Monatschr. 2. Jahrg. S. 699.)

„Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis“ „et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.“ Hebr. 5, 1. 3. Ex quibus sacrae scripturae verbis s. patres concilii Trident. accuratius decreverunt sess. 23. cap. 14.

„Curet episcopus, ut ii saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant,

*) Homo Apostol. Tom. IV. Append. 3. n. 97. (j)

missas celebrent.“ Haec autem obligatio pastoris offerendi missas pro populo est ex praecepto divino, ut idem expressit concilium cit. sess. 23. cap. 1. dicens: „Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione“ etc. Domini mandatum apud Joann. 21, 17.: „Pasce oves meas“ observantes. Quibus ex causis et Benedictus XIV. in Bulla „Cum semper 19. Aug. 1744 statuit, parochos aut alios curatos saeculares aut regulares (et eo magis Episcopos) teneri orare et celebrare Missam non solum, ut populus ei intersit, sed etiam applicare fructum pro illo singulis dominicis et festis, declarans hoc valere, etiamsi curatus congruam non haberet (licet, verba Bullae, congruis redditibus destituatur) et quamvis alicubi adsit consuetudo immemorabilis in contrarium. Et si parochia vacaret, facultatem dedit episcopis assignandi oeconomio congruam portionem fructuum, ut ipse pariter in festis possit celebrare pro populo.

Parochus autem impeditus, in diebus dominicis et festivis solemnibus pro populo missam applicare, graviter tenetur, celebrare per alium. Nam obligatio haec non est personalis, ut oratio ejus pro populo, sed realis, cum sit una ex obligationibus, muneri pastoris annexis, ut jam ex conc. Trident. sess. 23. c. 14. et simul ex praecepto divino ex eodem conc. sess. 23. c. 1. supra dicta patet, adeoque nullo modo laedenda. Uti itaque pastor tenetur oves suas pascere praedicatione, sacramentorum administratione etc., ita et tenetur pascere applicando eis fructum sacrificii: quapropter sicut pastor impeditus praedicare, sacramenta administrare, per alium tenetur, ita et impeditus applicare per seipsum Missae

sacrificium tenetur per alium praedictis diebus pro populo applicare Missae sacrificium.

Ex quibus expositis quilibet curatus et saecularis et regularis (et eo magis episcopus) aut ipse, aut ipso impedito per alium sacerdotem, qualibet die dominica et solemni festiva pro populo Missae sacrificium applicare tenetur.

Nota. Praeterea Bulla „Cum semper“ Benedicti XIV. tribuit episcopis facultatem dispensandi parochum, qui aliter non posset vivere, ut posset applicare in festis pro dantibus sibi eleemosynam cum onere supplendi diebus ferialibus pro populo. —

De lusu prohibito.

(Vergl. uns. Monatschr. S. 754.)

Omnes ludi sortis vetiti sunt, tum jure canonico, tum jure civili.

Leges civiles circa hoc sunt poenales, cum (in victorem poenas) dant actionem ei, qui vincitur, repetendi summam amissam. Ex quo ceteroquin inferitur, quod victor potest sibi lucrum retinere, donec per iudicis sententiam non obligetur restituere. Et hoc, etiamsi lusisset animo repetendi, si perdebat. S. Ligorius.

Casus. Duo lusores lusum prohibitum ludunt. Perdens non solvit, ad quid tenetur.“

Ex praecedentibus casum allatum facile ita solvimus. Lusor, qui perdebat propter leges poenales ad solvendum lusu perditum non tenetur.
